



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 1. Iudæos fletu digniſimam, sed æquiſimam quoq[ue] cladem passos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



in supremo iudicio faciet, atque coram Patre suo, cuius vel imago id mortalibus ostendit, manibus aures suas obstruens. Quid enim aliud vaticinatus est Salomon, cum dixit? *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.*

Prouer.  
21. 13.

## CAPVT XIII.

*Cladem Ierosolymitanæ urbis ac Iudeorum, ob Dei Filium tam crudeliter tractatum, illatam, imaginem esse pœna talionis, & eorum, quæ etiam impœnitentes Christiani merentur, dum per quæ quis peccat, per eadem & punitur.*

§. I.

*Iudeos fletu dignissimam, sed æquissimam quoque cladem passos.*



*Multi dolent & flent, si socijs, aut amicis calamitas accidat; & neque dolent, neque flent, de calamitate sibi impendente. Quod etiam, Christo Domino nos redimente, euenit. Sequebatur illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas IESVS dixit: Filie Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas*

Luc. 23.  
28.



*ipsas flere, & super filios vestros.* Bonum fuit utique, vt Christi innocentis morte dolerent, immo malum fuisset, si non doluissent; sed, quasi diceret ad turbam Christus: *eyce primùm festucam de oculo tuo; aut, medice curate ipsum,* ita iubet turbam illam *flere super se, & super filios suos;* quibus non videntibus grauissima mala impendebant, ob Christum Seruatorum tam truculentè habitum & occisum. In quo si cælestis Pater peccata aliena tam seuerè puniuit, quid Iudæis futurum erat, ob peccata sua, & illam ipsam immanitatem, qua Redemptorem suum iniquissimè interemerunt? *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quoniam autem Iudæi illi vera quædam imago sunt induratorum, impœnitentium, & Christi passionem ac sanguinem contemnentium, ostendendum est, quàm iustè primum illi, iuxta omnia, quæ ipsi in Christum patrarunt, eadem passi sint; deinde, quòd eadem nobis, nisi pœnitentiam agamus, sint metuenda, Christo dudum illud oraculum ponente: *In quo iudicio indicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Sumam autem omnia ex probatissimis authoribus, qui plerique, *quare*

Matth. 7

5.

Luc. 13

31.

Matth. 7.

2.

Ioseph.

lib. 7. &

R 3

quare



seqq. An-  
tiquit.  
Tacit. l. 5.  
hist. Sue-  
ton. Plu-  
tarch.  
DioPhle-  
gon, Ha-  
driani li-  
bertus.  
CæsarBa-  
ron. An.  
Christi  
72.

quare tanta mala inuaserint Iudæos, inda-  
gant, dum alij Iudæorum id rebellionem,  
alij idololatrijs tribuunt; Iosephus tradit,  
existimatum ob necem illatam Iacobo Iu-  
sto, tanta mala Iudæos apprehendisse; qui  
tamen, ante illum, jam & alios sanctissimos  
viros ac Prophetas occiderant ad se missos,  
nullam ob id talem tantamque vindictam  
experti. Ex Euangelij vaticinijs, SS. Pa-  
trum attestazione, & immanitate ac simili-  
tudine pœnarum constat, nullum, nisi il-  
lud maximū omnium & maximè execran-  
dum facinus, esse, cui eæ calamitates potius  
ascribi possint, nisi quod in Dei Filium, tot  
oraculis Prophetarum testatum, tot mira-  
culis illustratum, tot testimonijs declara-  
tum, ante annos triginta octo immanissi-  
mè commiserunt: quem quia pluribus iniu-  
rijs affectum occiderunt, pluribus quoque  
plagis sunt castigati, & quidem manifesta  
similitudinem præ se ferentibus, cum ijs  
malis, quæ Messiaæ suo intulère; vt vera fie-  
ret illa prædictio: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

Matth. 7.  
21.

§. II.

*Iudæi Christum non agnoscentes, in pœnam, nec  
ciuitatis sue nuncios agnouerunt.*

1. Igi-